

luntatem solis uxoris circumferibitur, imò comprehendit, filios, famulos, servos & pupillos; ut docent Ant. Gomez, Farinacius, & alii laudati *suprà* n. 7. Quare excusationem ex hoc capite merebantur à pœna ordinaria; nam concubina ancillis æquiparantur, ut colligitur ex sacra pagina, & probatur in *cap. non omnis* 12. 32. *quest. 2. c. dicat aliquis* 9. ead. *caus. quest. 4.* & sic docent Covarruvias de *spoufal. 1. part. c. 4. n. 8.* Menoch. de *arbitrar. cas. 418. n. 14.* Petr. Gregor. d. lib. 10. cap. 1. n. 7. Azevedo in l. 1. tit. 19. lib. 8. *recopil. n. 10.* si enim uxor quæ dicitur Domina, ut latè probat Revard. lib. 4. *varior. cap. 16.* viro subest, & coactè fecisse præsumitur, quæ ab eo mandantur; quanto magis concubina, quæ loco ancillæ habetur, & sævissimè tractari solet? Et licet jure discedere possit, non tamen facilè audet ipsam sævitiam timendo, præcipuè quando conscia criminis enormissimè vereri poterat, quod vitam ademisset eo ipso quo præsenferit posse mediante discessu maleficium publicari. Sic Aula in sententia de qua *suprà* memoriam feci.



CONTROVERSIA XLVII.

De abradente, sive tondente aureos nummos.

SUMMARIUM.

- 1 Facti species proponitur.
- 2 Tondens nummos aureos pœna mortis puniebatur jure digestorum.
- 3 Rodere, abraderè, circumcidere, & tondere aureos idem est.
- 4 Eadem pœna jure Codicis inflicta.
- 5 De jure Hispano antiquiori pœna hujus criminis arbitraria fuit Regi, non judici.
- 6 Sed novioribus legibus, pœna capitalis imposta est.
- 7 Regia cura in eo versari debet, ne quid fraudis in moneta materia, forma, ponderè, reperiatur.
- 8 Pœna mortis tondenti irroganda, non est ignis.
- 9 Tondens monetam cujuscumque metalli lege Hispana pœnam mortis incurrit.
- 10 Tondenti monetam crimen, comprehenditur sub crimine falsa moneta.
- 11 Falsa moneta crimen est difficultis probationis.

- 12 Et sic leviores probationes sufficiunt ad torquendum & condemnandum.
- 13 Falsum præsumitur falsum ab eo in cujus utilitatem cedit.
- 14 Instrumenta falsandæ monete faciunt indicium contra Dominum domus.
- 15 Moneta adulterina reperta, præsumitur facta à Domino domus, si autorem non indicat.
- 16 Retentio monete adulterina punitur.
- 17 Latitatio bonorum, indicium est criminis ob quod pœna confiscationis debetur.
- 18 Bonorum obsecratio, sive descriptio fieri debet in domo rei.
- 19 Latitatio persona per fugam, indicium est.
- 20 Fuga famuli dolum comprobat.
- 21 Mercator famulum exhibere tenetur.
- 22 Natio infamata de aliquo genere criminis, ab ejus naturalibus factum esse suadet.
- 23 Galli proclives maximopere sunt ad crimen tondendi monetam.
- 24 Facti series probationem producit.
- 25 Aliud est crimen tondendi monetam, & aliud ronsa usus.
- 26 Usus moneta ronsa non est punibilis, nisi probetur scientia.
- 27 Crimina famulorum non afficiunt dominos, nisi probetur mandatum.
- 28 In criminalibus requiruntur probationes concludentes per necesse.
- 29 Utilitas non cedit domino, si famulus solvat ejus nomine monetam defectuosam nisi probetur specificè eam tradidisse, vel mandasse.
- 30 Follis non est instrumentum abradendi monetam, sed fundendi.
- 31 Moneta abraditur forficula, vel aqua chrysulca, non igne folli insuflato.
- 32 Perquisitio domus non inventis instrumentis, innocentiam comprobat.
- 33 Moneta incisa non est moneta, quia forma caret.
- 34 Nummus incisus in Arca, incisus Arcarium, non verò dominum.
- 35 Idemitas pecunie ronsa probanda est evidenter, ut de delicto constet.
- 36 Latitatio bonorum post delictum arguit dolum, sed ante delictum ex alia causa necessaria minimè.
- 37 Fuga unius, non potest tertio præjudicium facere.
- 38 Exhibere familiam publicanus non tenetur ad iudicium criminale, sed ad civile.
- 39 Nationis infamata indicium remotissimum est.

- numm. est.
- 40 Et eliditur per bonam famam in specie probatam.
 - 41 Facti series non probat dum claudicat in probatione cujuscumque extremi.
 - 42 Idemitas nummarum improbabilis, nisi tradantur in sacculo obsecrato.
 - 43 Delicta difficultis probationis, exigunt probationem in genere suo.
 - 44 Decisio Aula, & num. 45. & 46.
 - 45 Reperentes monete, eadem pœna tenentur, & num. seqq.



ESAR Dugas natione Gallus, qui mercaturam exercebat in hac urbe, solvere tenebatur virtute cujusdam litteræ Cambii, Francisco Centani, Regio disculori, quingentos solidos aureos, quos mediante Amanuensis Arcarii, ei misit. Aurifex centum ex eis, ut asserbatur, recepit in viginti nummis unciariis (doblones de à ochi dicere solemus) sed propria peritia instructus, de ipsorum pondere dubitare cepit, & adhibita itatera, eos defectuosos invenit, ita ut in uno quoque quarta pars, vel ferè, deficeret. De his conquestus, quando jam Centani quadringentos in solutum dederat. Martino de Lyssa, qui pariter eos statim solverat, cum aliis ducentis Don Didaco Ignatio de Cordoia, inquisitionem suscepi, dum alius ex collegis ad perquirendam domum Cæsaris properavit. Duorum contestium dictis probaveram traditiones prælibatas, & aureos remissos ad Didacum apprehendi in sacculo linteo inscripto nomine dicti Martini remittentis. Et ex sexcentis aureis in eo repertis, periti quos adhibui, invenerunt quadringentos defectuosos, sicut centum ab Aurifex defectos. Collega verò domum Cæsaris vacuam mercibus, & pecunia invenit, sed in ea follem ex his quæ in officinis fabricorum deservire solent, & in Arca nummularia aureum unciarium, incisum, & defectuosum in pondere, sicut alii erant, absque eo quod Arcarius, & Amanuensis sui copiam fecerint. Dubitabatur quæ pœna Cæsar plectendus esset.

Jure digestorum inspecto, videbatur pœnam tondentibus auroreum nummorum impostam fuisse ultimi supplicii per Textum in lege quicumque 8. ff. ad egegn Corneliam, de fals. ibi: quicumque

nummos aureos parim raserint. Radere namque nummos, idem est ac rodere abraderè, tondere, vel circumcidere, ut ponderis minuantur quantitate. Sic probat Imperator in leg. 2. Cod. Theodos. de ponderator. ibi: emoria venditorumque solidorum quos excidunt, aut diminunt, aut (ut proprio verbo utar cupiditatis) abradunt. Paulus libro 1. sentent. titulo 24. §. 1. Accursus & Dionys. Gothofredus in dict. leg. quicumque, Jacobus Cujacius in dicto §. 1. Pauli. Antonius Matthæus de crimin. lib. 48. ff. titulo 7. cap. 4. numero 1. Tiber. Decian. libro 7. capite 23. numero 25. & post alios plures Jacob Gothofred. in dicta lege 2. & in leg. unic. Cod. Theodos. si quis solid. circuli. extier. vers. secunda sententia. Quos reos Parachactas, sive Parachaximos dici habetur in lege falsa 9. eodem. Cod. de falsa moneta. Quo idem Jacob Gothofred. mirabilem locum Cassiodori hæc explicantis adducit. Hi enim pœna mortis plectebantur ex dict. leg. quicumque, ut notavi *controverf. 44. numero 10. cum sequentibus.* Et de jure Codicis, eadem pœna clariùs imposita reperitur in leg. final. Cod. de veter. numis. post. lib. 11. dict. leg. unic. Cod. Theodos. Et sic docent Clarus in §. falsum, num 37. vers. radeas, ubi Baiard. numero 314. Tiber. Decianus dict. capite 21. numero 25. & capite 28. num. 7. pluribus Farinacius questione 115. numero 99. cum sequentibus, Menoch. de arbitrar. cas. 316. numero 34. Caballus cas. 191. numero 1. cum sequentibus, Antonius Matthæus dict. capite 4. numero 1. Carpov. in pract. crim. part. 1. quest. 43. numero 31. Et uterque Gothofred. Dionys. in dict. leg. quicumque, & Jacob. in dict. leg. unic. vers. secunda sententia. Et licet aliqui arument, sub hac dispositione tantummodò comprehendi aureos nummos, Menoch. & Caballus ubi proxime, docent & argenteos & aureos comprehendi, quibus adhæreo.

In nostro jure Hispano quamquam per legem 9. titulo 7. part. 7. pœna Regi arbitraria (non judici, ut Dominus Gregorius notat) imposita fuisset, hodie per legem 67. titulo 21. libro 5. *recopil.* pœna mortis imposita est, cum publicatione bonorum. Sic docent Covarruvias de veter. numism. collat. cap. 8. num. 5. Dominus Gregor. Lopez in dict. leg. 9. Glos. 4. Antonius Gomez in leg. 83. Tauri, num. 5. Don Joan. Vela de delict. part. 1. cap.

cap. 11. num. 12. Vill. diego in leg. 2. tit. 6. lib. 7. for. judic. num. 5. Montal. in leg. 7. tit. 17. lib. 4. for. leg. glof. verb. *certenare*. Paz. in leg. 78. styl. numero 132. Didacus Perez in leg. 23. titulo 19. lib. 8. ordin. glof. magn. vers. Tertio, & Azevedo in lege 5. tit. 17. lib. 8. recopil. qui uno ore tenent, per dictam legem noviore abfque dubio imponendam esse ex hoc crimine pœnam ultimi supplicii. Et summa cum ratione; nam inter præcipuas Regum curas, ea connumeranda est, ne scilicet aliquid fraudis fiat, vel permittatur in monetæ materia, forma ponderêve, quod probant sanctus Isidorus libro 6. cap. 17. Corraus lib. 3. miscell. cap. 13. num. 3. Sixtin. de regal. lib. 3. capite 7. num. 51. Petr. Gregor. de repub. libro 9. cap. 1. numero 31. Herman. Kirchner. de repub. disput. 20. addit. 1. Dominus Saavedra symbol. polit. 69. ad finem, & Dominus Solorçan. emblem. regiopolit. 81. per tot. quod obtineri non potest, si vel in minimo falsitas monetæ permittatur, quia, ut dixi *controverf.* 44. num. 20. in monetâ non potest esse parvitas materia.

Verùm ista pœna ultimi supplicii non est itroganda per ignem, sed per gladium, vel laqueum, quia licet argui posset ex eo quod in falsificante monetam pœna ignis imposita est per dictam legem 9. part. & publicationis mediocritatis bonorum, & sic dum pœnæ mortis, adicitur omnium bonorum publicatio in dicta lege 67. non ineptè inferri valeat, quod ut debita proportio servetur, pœna corporalis gravior infligenda est, sicut pecuniaria gravior infligitur. Sed communis observantia ita interpretatur prædictas leges, ut ignis pœna solum imponatur flatoribus falsæ monetæ, tanquam propriis rebus læsæ Majestatis. Quamvis enim tonsores Majestatem Principis lædant, monetam abradendo, ut habetur in dict. leg. unic. non tamen atrociter jura Regis usurpando, & sic Imperator in eo Textu pœnam flammæ imposuit alternativè, ut arbitrium iudicibus relinqueret ad imponendam pœnam mitiorem. Dubium autem Doctorem in dict. leg. *quicumque*, an de aureis tantum, vel argenteis & areis interpretanda sit, de jure Hispano cessat, quia dict. leg. 67. tam de aureis, quàm de cæteris expressè loquitur, & sic tenent omnes Doctores Hispani superius laudati.

Sed hujus controversiæ questio, quia aurei nummi tonfi erant, non in jure, sed in factò versabatur: nempe an sufficiens probatio resularet contra Cæsarem ad condemnandum, vel ad torquendum? Et Dominus Fiscalis contendebat, quod hoc crimen erat falsæ monetæ, quia ut omnes juri interpretes tradunt, una ex speciebus falsitatis in monetâ, est diminutio legitimi ponderis: & licet Carpovius dict. num. 31. tenuerit quod hæc falsitas versatur circa formam, decipitur, meo iudicio; nam tonsores illâ formam pecuniæ relinquunt & materiam radunt, ut inde lucrum capiant: & cum sui natura sic difficilis probationis, quia clam committitur, Text. in leg. 1. Cod. de fals. monet. ibi: *monetarij adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercent*, idem probat Textus in leg. 2. Cod. pro quib. caus. servi pro præm. libert. accip. ibi: *qui monetarios adulterinam monetam clandestinis sceleribus exercentes, in publicum detulerint*, leviores probationes sufficientes ad condemnandum, & ad torquendum, ut in terminis tenuerunt Hippol. de Marsil. in l. Divus Pius col. 2. & 3. ff. de quest. & in prax. crimin. §. diligenter, numero 80. cum seqq. & num. 124. Tiber. Decian. dicto lib. 7. cap. 24. numero 10. & cap. 26. numero 4. Farinacius quest. 115. numero 50. pluribus Giurba conf. 2. numero 44. conf. 13. num. 1. & consil. 43. num. 22. & conf. 85. numero 11. Anton. Matth. dict. tit. 7. cap. 6. numero fin. & tit. 15. cap. 16. per tot. Ex nostratibus Dominus Valencuela conf. 18. numero 4. Azevedo in leg. 4. tit. 6. libro 8. recopilat. numero 5. & Dominus Larrea allegat. ff. cal. 66. & num. 45. & 66.

Qua conclusio, tanquam verissima in jure posita, allegabatur quod concludenter probatum erat, solutionem factam Francisco Centani cedere in utilitatem Cæsaris, qui solvere jusse quingentos aureos, & liberationem consequutus fuit totius fortis, & re vera solum traditum fuit aurum pondetis tercentum, & octoginta, quia quarta pars deficiebat: quæ differentia cessaret in utilitatem ipsius rei; & sic ab eo factum crimen præsumebatur, secundum doctrinam Albertici in leg. divus, num. 3. ff. ad leg. Corn. de fals. & in leg. 1. §. si quis in suo. ff. ne quid in loco publ. Farinac. quest. 106. num. 38. & quest. 155. numer. 209. aliis relatis Dominus Larrea d. alleg. 66. num. 60. 61.

Secun

14. Secundo, quia instrumenta ad falsificationem monetæ reperta in domo, faciunt indicium contra dominum, ut probant Hippolyt. de Mars. in leg. qui falsam 19. ff. ad legem Cornel. de fals. num. 106. Bossius in pract. crimin. tit. de fals. monet. num. 6. Tiber. Decianus dict. cap. 26. num. 6. Farinac. dict. quest. 115. num. 120. cum sequentibus, Guazzin. defens. 4. cap. 9. num. 5. Carpov. in pract. crimin. part. 3. quest. 122. num. 84. Et in domo Cæsaris repertus fuit follis, non ejus formæ, qua destinati ad domesticos usus fieri solent, sed duplicatus, & grandis ex his qui deserviunt in officinis fabrorum rerum fustilium. Et cum ipse de eis rebus non tractaret, sed de exercenda mercatura, destinatum ad fusionem metallorum esse videbatur; ac per consequens ad falsificationem nummorum.

15. Tertio, quia pariter repertus fuit in ipsa domo nummus aureus unciarius incilius cujus fragmenta integram nummum constituebant, & facta experientia per peritos, per eorum relationes constitit sibi videri ejusdem qualitatis cum defectuosus & extonsis in eadem, vel simili quantitate ponderis, quod ex se punibile est, tanquam reventio monetæ adulterinæ, ut cum Grato, Covarruvia, Vivio, Menochio, & aliis probat Far. quest. 115. n. 118. & 119. quem sequuntur Caballus cas. 899. numero 23. Guazzin. dict. cap. 9. numero 5. Giurba. conf. 85. num. 9. Et quatenus ex collatione cum quingentis videbatur esse ex eis, resultabat indicium vehementis perpetrationis criminis, cujus vestigia in eâ domo reperiebantur, non solum contra dominum, sed contra alios domesticos. Ut latè probat Farin. dict. q. 52. n. 98. cum seqq.

17. Quarto, quia domus hujus rei, bonis expilata inventa fuit, quæ erat opulenta in negotiatione mercium Galliarum, pecuniarum referta, atque suppellectilis copia adornata, ut innuebant Arcatii, sive inlitoris usus, aræ destinatio, & ipsius negotiationis species. Quare expilatio subitanea suadebat dolum & conscientiam criminis, ratione cujus bona adnotanda essent juxta Textum in leg. mandatis 5. ff. de requir. reis. l. 1. & 2. C. eod. tit. notant ex nostratibus generalem usum hujus adnotationis, sive obfignationis bonorum in omni crimine D. D. Laur. Matheu, de Re Crim. Pars I.

Anton. Gomez *variar. lib. 3. cap. 9. n. 2.* Suarez de Paz. in prax. tom. 1. part. 5. c. 3. §. 2. n. 18. Bolaños in Cur. Philip. §. pagan. num. 7. Pichar. in manduct. ad prax. p. 3. §. 3. num. 4. & 5. Aillon ad Gomez. d. c. 9. num. 3. & ex aliis Farin. q. 11. n. 4. & Scacc. de jud. lib. 1. c. 97. ex n. 16. & c. 98. ex n. 21. Et sicut latitatio personæ per fugam indicium criminis est, ut latè probat Farin. quest. 48. ex num. 1. sic similiter latitatio bonorum indicium facit; quia arguit conscientiam criminis, ex quo pœna confiscationis debeatur; & ut dixi n. 5. per d. l. 67. pœna confiscationis imposita est tondenti monetam.

Quinto, ex fuga Amanuensis, & Arcatii, quorum unus nummos tradidisse à Cæsare dicebatur, alius duxisse ad domum Francisci Centani. Fuga enim facit indicium non leve, ut pluribus probat Far. d. q. 48. ex num. 1. præcipuè n. 21. quo indicium extendit ad socium. Et cum ipse Cæsar teneretur exhibere Amanuensem, ut probat Text. in l. 1. in princ. & §. Familia 5. ff. de publ. veltigal. dum ipsum non exhibebat, indicium in se comprobabat, ut de crimine teneretur. Neque dici poterat sub hac dispositione non comprehendi, quia publicanus non erat. Nam Ulpianus in dict. leg. 1. §. restituend. 4. vers. inde quaritur, publicanum à cæteris non distinguit, ibi: *est enim absurdum meliorem esse publicanorum causam, quàm cæterorum*. Quibus ad stipulantur Text. in leg. 1. tit. 16. p. 3. & l. 4. tit. 6. lib. 3. recopil. quib. cavetur quod officiales teneantur familiam exhibere: & mercatores officium publicum gerunt, Text. in l. 2. tit. 19. lib. 5. recopil. ubi Matienço, glof. 7. Et sic, ex non exhibere indicium oriebatur, imò comprobatio delicti, quia qui aliquid exhibere teneretur, si non exhibuerit punitur tanquam reus, l. ubi exigitur 6. ff. de edend. Lucas de Penna in l. quemadmodum, Cod. de Agricol. & censu. lib. 11. Mascard. de probat. conclus. 532. n. 94. & 156. Dominus Larrea d. alleg. 66. n. 47. in fin.

Sexto, quia Gallus erat, ac per consequens nationis infamata: in hoc genere delinquendi, Textus in lege quod si nolit. 31. §. qui mancipia, Digest. de adil. edict. Plura ad rem Tiraquellus in lege 7. connubial. ex num. 17. Galli namque, ut quotidiana experientia demonstrat, ad rem metallicam, & fustilem addicti, in criminibus tondendæ,

Ii tingen

tingende, atque eundem monetam, sæpe
sæpius deprehenduntur, de quo plura
exempla adduci possent. Ad hanc pro-
pensionem referendum puto prover-
bium illud, *Gallis cum auro pugnare*. Non
tantum quod aureo torque ad pugnam
orientur, ut notat Plinius libro *trige-
simo tertio, historia naturalis, capite primo*,
quantum quod auri avidissimi sint, ut
tradit Livius libro *primo, historia Romana*,
23 *de cad. 3. numero 20.* & cum auro pug-
nam ducunt, ut ipsum per fas, vel per
nefas extorqueant & adquirant, ut
Erasmus in *adagiis* probat. Omitto scri-
bentes Hispanos, ne illis suspecti videan-
tur. Tempore Philippi Pulchri Regis
Galliarum tanta fuit copia horum deli-
quentium, ut simul viginti, & octo
eiusdem Regis iussu uno die laqueo ne-
cati fuissent, quia seditiosè Regi, mo-
netam ad iustum pondus restituere
conantur restiterant, quia ad libitum
moneta defectuosa uti contende-
bant. Tradunt Gaguinus libro *septimo histor.
in Philippo Pulchro*, & eo relato Petrus
Gregorius *dict. libro 36. cap. 2. num. fin.*
In ipsa Regia Urbe Luræ Parisiorum
ob huius criminis frequentiam plura
Senatus consulta lata refert Jacobus Go-
thofredus in *dict. leg. unic. Cod. Theodos.
si quis solid. circular. exter. vers. se-
cundo.*

24 Septimo ex tota facti serie Cæsarem
fuisse reum probabatur, quingentos
aureos debebat, quingentos remisit, sta-
tim fraude detecta quingenti, & non
plus nec minus effectuosi reperti fue-
runt, in domo ipsius uno remanente,
eiusdem qualitatis, & defectus: & cum
ex *ipsis rebus probationes sumi oportere*
doceat Papirius in *leg. Imperatores 38.*
§. item rescripserunt, ff. ad municipalem,
ipsum condemnandum, vel saltem tor-
quendum Fiscalis concludebat.

25 Sed his non obstantibus ex defectu
probationis Cæsarem absolvendum fo-
re replicabatur. Quia ex actis nihil ap-
parebat de ipsorum nummorum cir-
cumcisione; & omnia quæ in eum
allegabantur usum aureorum abra-
surum respiciebant, sed aberat, quod ip-
se usus fuisset, quia danto quod conclu-
denter probata fuisset traditio facta per
Amanuensem, non probabatur, quod
eosdem nummos acceperat à Domino,
quod erat necessarium. Et si conce-
deretur quod Cæsar eisdem nummis
usus fuisset, necessaria erat probatio

scientiæ defectus in pondere, quia ex-
pendens falsam monetam, si ignorat
absolvendus est, ut pluribus probant
Franquius *decisione 401. numero secundo*,
Farinacius *dicta questione 115. numero 26*,
153. Caballus *casu 199. numero 6.* Carp-
zovius *dicta questione 42. numero 108.*
ex nostratibus Dominus Covarrovias
dicto capite 8. numero 4. Didacus Perez
in dicta lege 23. gloss. magn. vers. secundo,
& Azvedo *in dicta lege 5. numero 45.*
qui omnes dicunt, quod expendens
scienter poenam incurtant; & cum de
scientia nihil probaretur, etiamsi usus
Cæsari supponatur, poenam incurtere
non poterat. Sed, ut dixi, neque illius
usus comprobabatur, quia non ipse tra-
diderat; Amanuensis fuit qui detulit,
& de eo potius præsumendum erat de-
liquisse dommodò, neque de traditione
à Cæsare facta constabat, neque de spe-
cifico mandato solvendi in nummis de-
fectuosis. Vel saltem præsumptiones in
Cæsarem pensæ elidebantur; quia
nihil in eum per necesse concludebant,
sed per possibile remotissimum, quod
in criminalibus attendendum non est,
quia adhuc in his quæ sunt difficilis
probationis, debent esse concludentes,
liquidæ, & meridiana luce clariores,
Text. in *lege final. Cod. probat.* Masc-
cardus *conclus. 165. numero 4.* Menoch.
de arbitrar. casu 116. numero 23. & 24.
Tiberius Decianus *libro 8. cap. 38. nu-
mero 1.* Farinac. *quæst. 111. num. 264.* Ca-
bal. *cas. 230. num. 24.* Giurb. *conf. 72. n.*
15. Anton. Matth. *de crimin. lib. 48. ff. tit.*
15. *cap. 5. numero 3. & 4.* Carpz. *in pract.
crimin. part. 3. quæst. 114. ex num. 1.* Ex
nostratibus Antonius Gomez *dict. lib. 3.*
cap. 12. num. 9. Vela *de delict. part. 2. c. 8.*
ex n. 1. aliis relatis Aillon *ad Gomez dict.*
cap. 12. n. 10.

Neque indicia à Fiscali pensæ Cæ-
sarem urgebant. Non primum, quia
constanter negabat in ejus utilitatem
facinus redundasse, cum ille quingen-
tos aureos solvere iussisset Arcario, &
si in reali traditione quid fraudis adse-
ret ab Amanuense, vel Arcario facti-
tatum esse assererat. Cum autem ex
actis nihil in contrarium huius allega-
tionis probaretur, omnino primum in-
diciū evanuit.

Sic similiter secundum, nam dice-
batur pro reo, quo follis reperta in
domo ipsius non erat instrumentum
necessario destinatum ad usus illicitos,
sed

sed ad licitos, & semper excludenda
est præsumptio delicti, si res interpre-
tari valet, ita ut delictum excludatur,
Text. in *lege merito, Digest. pro socio, plu-
ribus Giurba consilio trigésimo septimo*
31 *numero trigésimo septimo*; & si res bene
perpendatur, follis non est instrumen-
tum tendendæ monetæ, quia ea non
abraditur per fusionem metalli, sed for-
ficula, ut tradit Guazzinus *dicto capite*
nono, numero quinto. Vel aqua chrysulca,
ut Jacobus Gothofredus in *lege com-
perimus 6. Codic. Lheodosian. de fals. mo-
net.* Et si non fuit in domo repertum
instrumentum circumcissionis aureorum.
32 Et sicut inventio indicium criminis
faceret, ut *suprà numer. 14.* probabatur,
sic si perquisita domo similia instru-
menta non reperiantur, criminis suspi-
cio excluditur, ut in terminis docent
Caballus *dict. casu 199. num. 23.* Giurba
dict. consilio 85. numero 26. quia contra-
riorum eadem est disciplina, sive ra-
tio, Text. in *lege prima, Digest. de his qui
sunt sui vel alien. jur. leg. & si contra 35.*
*§. ultimo, ubi gloss. ff. de vulgar. & pupil.
substitu. aliis relatis Dominus Valen-
guela consil. 44. numero 46. & consil. 100.*
numero 28. & in terminis falsæ mone-
te Carpzovius *dicta questione 43. nu-
mero 38. cum seqq.*

33 Tertium indicium elidebat reus ex
eo, quod moneta incisa non est mo-
neta, quia caret forma, & si ex reten-
tione illius nulla poena debetur, ut re-
tulerunt Decianus *dict. libro septimo, capi-
te vigésimo septimo, numero decimo quar-
to,* & Farinacius *dicto questione 115. nu-
mero 143.* Et ad suspicionem excluden-
dam, quia licet nummus incisus re-
pertus erat in domo illius, non ta-
men in cubiculis suæ habitationis, aut
in scrinio quod ipse custodiebat, sed in
statione destinata ad Arcam nummulari-
am, imò intra ipsam Arcam cujus cu-
ra, custodia, & administratio Arcario
commissa erat, qui poterat huiusmodi
indicio gravari, licet re vera quod num-
mus unius, vel alter, incisus reperitur
ubi ex frequentii pecuniatum com-
mercio quotidie adducuntur, & ab-
strahuntur plures quantitates, nihil
commune habet cum abrasione mo-
neta: sicut etiam quod incisus defe-
ctuosus in pondere reperitur, præci-
pue quando incisio facta non repetit-
batur forficula, alliove instrumento ex
his quibus mella scindi solent. sed ca-
D. D. Laur. Matthæi, de Re Crim. Pars I.

su fractus, ut in nostra specie: nam
tunc defectus est verosimilis, quia fa-
ciliter potest amitti aliqua pars ex quo
resulter defectus. Quibus addebatur,
quod de identitate, quæ omnino pro-
bari debet, juxta Textum in *lege prima,*
Codice si unus ex pluribus appellaverit,
ut aliis relatis tradit Dominus Valen-
guela *consilio vigésimo septimo, numero*
quadragesimo quinto, non constabat. Li-
cet enim in actis appareret nummum
incisum repertum fuisse in domo Cæ-
saris; & nummum incisum recogni-
tum fuisse per petitos, quod hic esset
idem ac repertus in domo, non consti-
tuit, vel per incuriam, vel per oblivio-
nem apprehendentis, quare collatio
cum ceteris defectuosis nullius mo-
menti erat.

Ad quartum dicebatur, quod expul-
sio domus non dolo, sed necessitate,
& infortunio facta erat ante delicti in-
quisitionem. Nam Cæsar mole credi-
torum gravatus adversam fortunam
sustinebat pluribus bonis deperditis,
aliis creditoribus insolutum datis, &
aliis in pignora judicialia ab execu-
toribus, auctore Prætoris abstractis, quæ
per acta judicialia comprobavit, & sic
nulla bonorum latitatio aderat, si enim
bona latitare curasset, facilius perso-
nam latitaret, quod facere noluit, quia
culpa carebat, & sicut ex fuga indicium
oritur, ut ex Farinacio probatur *sup.*
n. 20. qui non fugit excludit præsum-
ptionem ex deductis *suprà n. 32.*

Amanuensis fugam, in Fiscaliam re-
torquebat, quia non constitit quod de
mandato Cæsaris aufugisset, & cum
fuga arguat dolum, ut probat Mascar-
dus *conclus. 319. n. 1. & 9. vers. nunc verò,*
& *concl. 511. n. 23.* quem sequitur Far.
d. quæst. 48. n. 2. in Amanuensem indi-
cium resultabat, non in Cæsarem, qui
non tenebatur ex crimine famuli; Tex.
*in l. 1. §. ait Prætor de jecisse 11. & S. quor-
ties 13. ff. de vi, & vi armat.* cum aliis
adductis per Carpzov. *in pract. crim.*
p. 3. quæst. 131. n. 4. imò famulus ex sola
fuga factus fuit reus, ut probat Farin.
d. q. 48. n. 70. cum seqq. qui plura de hac
materia disserit. Neque fuga unius po-
test alteri præjudicare, ut tenuit idem
Farin. *d. quæst. 48. n. 22.* Neque Cæsar
Amanuensem exhibere tenebatur, quia
Text. in *dicta lege prima, §. familia, Di-
gest. de publicana* stricte interpretandus
est, ut ceteræ leges poenales, quarum
Ii 2 extensio

extensio non admittitur l. at si quis, vers. divus autem Marcus, ff. de relig. & sumpt. funer. Carpz. part. 1. quæst. 9. num. 13; atque adeo cum publicanus non esset, nec de vectigalium pecunia ageretur, famulum exhibere non tenebatur, & licet in dict. §. restituendi, vers. inde quaritur. dicatur quod est absurdum meliorem esse publicanorum causam, quam cæterorum, non inde sequitur quod privatus teneatur familiam exhibere, quia in d. vers. consultus non tractat de familia exhibenda, sed an publicanus convenire possit edito de vi honorum raptorum: & dum respondit quod sic, subjungit absurdum esse, quod publicanorum melior sit causa, quam cæterorum: quod est valde diversum. Neque ex leg. 1. tit. 16. part. 3. & leg. 4. tit. 6. lib. 3. recopiat. ad similem exhibitionem tenebatur, tum quia ista jura expressè loquuntur de Magistratibus, tum etiam quia mercatorem obtinere officium publicum improprie intelligi debet, & hodie non est in usu, ut Matiençus notat dict. gloss. 7. Et adhuc si teneretur, non ad judicium criminale, sed ad civile, vel ut plurimum ad pœnam pecuniariam parti applicandam, ut Ulpianus verba edicti referendo, ait in dicta lege prima, in princip. ibi: in duplum, aut si post annum agatur in simplum judicium dabo. Quod in familia Magistratum pariter cautum est, de quo plura in secunda parte controversi. 1. num. 47. cum sequentibus. Et hanc pœnam in hoc judicio nemo persequatur, quia Franciscus Centavi non accusavit, & sic causa ex merito officio prosequuta fuit.

39 Ad sextum dicebatur, quod suspicio desumpta ex infamata natione valde remota est, ab ipso crimine, quæ exclusâ remanebat per probationem à reo factam de bona fama in specie de se, quæ plurimum juvat ad excludendam, vel mitigandam pœnam in his criminibus expensionis, vel abrasionis numerorum, ut pluribus probant Tibertius Decianus dict. libro 7. tract. criminal. cap. 16. num. 6. Vincentius de Franquius dict. decisio. 401. numero 3. cum sequentibus, Farinacius dicta questione 115. numero 138. Guazzinus dict. defen. 4. capite 9. num. 6. Giurba dict. consil. 85. num. 26. Caballus d. cas. 199. n. 11.

41 Et tandem quia facti series nihil contra Cæsarem conclubeat, deficiente fundamento totius argumenti, nempe

quod ipse aureos diminutos Amanuensii tradidisset, quod erat probandum, ut teneretur pœna expendentis, vel diminuentis, & sic cuncta considerata Amanuensium, non Cæsarem afficiebant, dictum remanet.

His itaque perpensis ad defensionem rei, Aula non omnino indicia despexit, nisi adesset incertitudo respectu corporis delicti; quia ex actis non probabatur identitas numerorum obrasorum: pecunia enim est ex rebus quæ functionem recipiunt in genere suo, ut docet Consultus in leg. 2. §. metui, Digest. si cert. petat. ubi communiter Doctores, aliis relatis Dominus Valençuela consil. 30. num. 30. Nummi enim inter se assimilantur, ita ut nemo de identitate concludenter deponere possit, nisi casu quo sacculo obsignato traduntur, Textus in leg. 1. §. si pecunia, 21. ff. deposit. & de jure nostro leg. 5. titulo 3. parte 5. Dominus Gregorius Lopez ibidem gloss. 9. & pluribus relatis Dominus Valençuela consil. 64. numero 6. cum sequentibus. Et cum nummi, de quibus agitur per tot manus divagassent antequam apprehendi possent, absque eo quod sacculo obsignato custodirentur, solum certa erat incertitudo nummorum.


Et licet negari non possit, quod crimen erat difficilis probationis ut diximus numero 11. cum sequentibus, tamen hujusmodi crimina requirunt probationem concludentem in genere suo, hoc est præsumptivam, vel per testes minus idoneos, ut pluribus probat Carpzov. parte tertia, questione 114. numero 35. cum sequentibus, sed debet ita persuadere intellectum iudicis, ut rem aliter se habere non posse credat, & sic tradit regulam Giurba consil. 68. numero 3. cum sequentibus, sed quia de hoc passim Doctores tractant, & plurima prudentis iudicis arbitrio relinquuntur, non immoror. In hac enim specie nullum indicium proximum, vel concludens probatum fuit, & sic Aula reum absolvit, qui è carcere liberatus, miserè creditorum mole gravatus, decoxit.

Sed in causa Joannis Federici Velasquez, apud quem reperta fuerunt circumcisiones aureorum, forficulæ, & alia instrumenta rondendi nummos aureos, decretum de torquendo impostum fuit, & cum negasset, quia miles erat, extra ordinem plexus ad arcem Afram remissus

missus fuit per sexennium. Sed ante implementum temporis ad hanc urbem remeavit, & jam non tendendæ, sed eundem monetæ aureæ crimen aggressus, plures cuneos signatorios confecerat, & in domo quam ipse inhabitabat torcular magnum, ut sine strepitu nummos cuderet. Iterum tortus negavit, & ad tresemes relegatus fuit Idem observatum fuit in causa cujusdam mercatoris librorum, qui Gallus natione erat. In posse ipsius apprehensæ fuerant circumcisiones aureæ monetæ, atque argentæ, cum forficulis ad id præparatis; quæstioni suppositus negavit, sed quia concludenter convictus fuit de usu, flagellis castus in exilium à Regno condemnatus fuit.

47 De recudentibus moneram æream aliqui dubitant an flammaram pœnam incurrant, & ratio dubitandi est; nam Imperator in lege secunda, Codice de falsa moneta de flatoribus tantum loquitur; & cum isti monetam falsam non conficiant, sed jam factam jussu Principis, repercutiant, micitius puniendos esse aliqui autumant; sed hæc opinio procedere possit si apud nos pecuniæ falsitas quoad formam non esset punibilis eadem pœna, ac si esset circa materiam, ut voluit Carpzov. dicta questione quadragesima tertia, per totam, quia materia numorum reperculsorum probata est per Principem: Sed quia de jure Hispano falsificantes monetam ratione formæ, eadem pœna puniuntur; ut latius probavi controversi. 45. numero quinquagesimo, clarè sequitur quod reperculsores pœna flammaram tenentur. Nam dubitari non potest, quod Princeps quando novo stigmate, vel sigillo pecuniam repercuti jubet, novam formam tribuit, quæ pendet ex sigillatione (vel ut pretium augeatur, vel adulterina à probata secernatur) ut probavi dicta controversia quadragesima quinta, numero quadragesimo primo. Et quando hæc nova sigillatio falsò per privatos imponitur, nova forma datur & jura regalia usurpantur, atque majestas læditur. Neque obstat quod parvum præjudicium sequatur, quia, ut dixi controversia quadragesima quarta, numero 20. in materia falsæ monetæ non datur parvitas materiæ, & præjudicium maximum est quia valor legalis augeatur, & sic pœna acerba debetur. Sed hæc raro contingunt, utinam numquam; D. D. Laur. Mathau, de Re Crim. Pars I.

nam jactura Reipublicæ ex his reperculsionibus ingens est, ut experientia demonstrat.



CONTROVERSIA XLVIII.

De duobus hermaphroditis matrimonio copulatis, simulque in utero gestantibus, ex reciproco usu utriusque sexus, & an hoc imputari possit in crimen.

SUMMARIUM

- 1 Facta species admiranda refertur.
- 2 Hermaphroditæ raro utroque sexu perfecti.
- 3 Hermaphroditæ utroque sexu perfecti possibiles sunt, & sæpe videntur.
- 4 Tres hermaphroditæ utramque venerem experti sunt.
- 5 Jupiter mas, & femina fingitur, qui gravidus factus Palladem peperit.
- 6 Hermaphroditorum differentia proponuntur.
- 7 Hermaphroditus vir, qualis sit.
- 8 Hermaphroditus femina, ex quibus dignoscatur.
- 9 Hermaphroditus neutrius naturæ, qui in utroque sexu defectuosus reperitur.
- 10 Hermaphroditus perfectus, qui utroque sexu pollet.
- 11 Hermaphroditus ejus sexus reputatur, qui in eo prævalet.
- 12 Hermaphroditus qui utriusque sexus pudenda perfecta obtinet, eligere debet sexum.
- 13 Hermaphroditus Monachus gravidus effectus.
- 14 Hermaphroditæ irregulares sunt, & in Monasteriis non sunt admittendi.
- 15 Miles Ungarus qui in castris Martis & Veneris se virum ostenderit, femina detectus.
- 16 Alius miles hermaphroditus pragnans, ibid.
- 17 Hermaphroditus viro nupius qui filios peperit, ancillas comprimens, & in eis generans.
- 18 Hermaphroditus Valentie visus, qui habitu femineo virginem stupravit, & factus sartor puellam peperit.